Allegationes iuris pro Officio Oeconomi Regij, datæ ab Illuſt. D. Senatori Camillo Trotto.

OFficium Oeconomi non datur beneficio, ſed cuſtodiæ rerum temporalium Eccleſiæ vacantis c. auaritiam de elect. & l. Iulianus C. de Sacroſan. Eccleſ. ſpecul. in tit. de ijs, qui alien. nom. num. 5.

Et ita fructibus, quia illi ſunt temporales, Feder. conſ. 245. Lap. alleg. 81. Theſ. deciſ. 131. & hoc ad impediendas rapinas, & prohibenda ſcandala, quæ in adeptione poſſeſſionis contingere ſolent.

Ipſeq; Oeconomus ſemper in hac cuſtodia præfertur Canonicis cum Eccleſiæ Cathedrales vacant, c. quoniam diſtinct. 75. gloſ. in c. illud 12. quæſt. 2. Imol. in c. cum vos nu. 8. verſ. Eccleſiæ verò Cathedrales de offic. Ordin. Abb. in c. bonum num. 11. de appellat. vbi cuſtodia hoc ordine datur; Primo Oeconomo, ſi adeſt; Secundo Canonicis, ſi reperiantur idonei; Tertio Clericis, ſi reperiantur idonei, & poſtremo Archiepiſcopo.

Et ita intelligi debet Concilium, dum hanc cuſtodiam tribuit c. Sede vacante, per illa verba, vbi ad tum illa pertineat, ideſt vbi Oeconomus deſit.

Neq; hic quæri opportet, vtrum opporteat Oeconomum eſſe Apoſtolicum, vel ſufficiat eſſe Regium, quia Oeconomus noſter Mediolanen. vtramq; poteſtatem habet, tum ex cōceſſione Papæ Gregorij XIIII. tum ex conceſſione Regis.

Nec reſtringi poſſunt verba Pont. quatenus loquitur de quibuſcumq; Eccleſijs, ita vt Cathedrales non compræhendantur. Primo quia nulla ratio ſuadet hanc reſtrictionē; cùm potius, vt dictum eſt, cuſtodia Cathedralium magis etiam, quam aliarum Eccleſiarum, ad Oeconomum iure ipſo pertineat, & is Canonicis præferatur. Secundo quia verba vniuerſalia ab homine, ac etiam ab ipſo Principe prolata, non admittant reſtrictionem de habilitate, vt notat Iaſ. & alij in l. 1. §. nunciatio, De Oper. no. nunc. Quamquam etiam ſi noſter Oeconomus, ſolum mandatum Regium

gium haberet, adhuc tamen ipse in hac custodia præferri deberet, quia consuetudo extat in hac Prouincia per Sedē Apostolicam approbata, vt Principes Seculares suos in ea habeant Oeconomos, qui vacantium Ecclesiarum, & maxime Episcopatuum custodiam habent, vt multis exemplis probatur, & eo potissimum, quod semper Pontifices suam authoritatem tribuerunt illis ipsis, quos Duces Oeconomos constituerant, & certum est in iure, custodem Ecclesiarum vacantium posse etiam à laico deputari, si id habeat ex priuilegio, vel consuetudine, vt probat Imol. supra citatus in d. c. cum vos num. 8. maximè verò, si sit patronus, vt in d. c. cum vos.

Quæ consideratio indubitatam reddit causam Regis, & sui Oeconomi, cum agitur de Episcopatu vacante, vt in hoc casu, quia Reges patroni sunt in Episcopatibus c. lectis, distinct. 63. Bal. in c. 4. in fin. de Iud. & in l. rescripta c. de prec. Imper. offer. qui dicit, benè notandum pro Ducibus Alemaniæ, & simil. Mart. decis. 66. lib. 2. Ceret cons. 71. & 142. Thes. decis. 171. Ant. Cort. de potestate Regis, quæst. 11. Thes. de Imp. quæst. 100. num. 25. & seq.

Ex quo intelligitur, quod etsi Oeconomus noster vtramq; potestatem habeat, tamen actus, qui ab eo geritur, magis tribui debet Regiæ potestati, quam Pontificiæ, quia hæc superflua est, & quæ superfluò adhibentur, etiam si omissa sint, non nocent.

Et ideo superfluum est ponderare illa verba Pontific. sub conditionibus apponendis &c. Quia, cū non apposuerit, pœnituisse creditur, l. si quis ità hæredem scripserit. De hæred. instit. & ibi Bar. Rip. in l. sticham num. 4. de leg. 1. Item quia, cum subsequutus sit Pont. dando ipsam facultatem Oeconomatus purè, censetur eius concessio non conditionalis, quia conditionalis dispositio ante conditionis euentum effectum non habet Crauet. in cons. 101. num. 2.

Nec illa verba, In intrusos, & occupatores expellendi &c. quia Princeps sæcularis non vtitur illa concessione Pontificia, & si etiam vti vellet, illa verba non nocerent, sed prodessent; quia intrusi, & occupatores verè sunt Canonici, qui, vbi adest Oeconomus, de hac custodia se intromittere non possunt.